Cui virginitatis in hoc duplex testimonium datur in evangelio
quod et pre ceteris dilectus a deo dicitur et huic matrem suam
pendens in cruce commendavit deus ut virginem virgo
servaret // Hic commendat quoddam suppositum in precedenti
commendatione. Commendaverat enim Jheronimus eum ex quatuor scilicet ex nomine
ex officio ex conuictu et ex virtutis actu. Tria autem prima
erant manifesta, non sic autem quartum videlicet continentia virginitatis.
Ideo istud probat Jheronimus duplici testimonio. Primum est specialis dilectio
Christi ad ipsum que erat sue virginitatis signum ex eo quod dicitur
Ecclesiastici 13. Omne animal diligit sibi simile volatilia ad similia conveniunt
sic omnis caro ad sibi similem coniungetur et omnis homo sibi simili
associabitur. De Christo autem nulli est dubium quin fuit virgo gloriosissimus.
Et hoc est quod dicit: Cui virginitatis in hoc duplex testimonium datur
in evangelio. Primum autem testimonium tangitur cum dicitur quod erat pre ceteris
a deo dilectus. Dicitur sicut infra patet in fine 21° capitulo: vidit illum discipulum
quem diligebat Jhesus etc. Secundum autem testimonium virginitatis Johannis
fuit recommendacio matris Christi in cruce sibi facta ut virgo
virginem custodiret et esset ad invicem grata societas et solacius
apparens secundum quod dicit Jheronimus in sermone de assumpcione beate virginis
Marie. Et hoc est quod dicitur: et huic matrem suam pendens in
cruce commendavit ut virgo virginem servaret.

Denique manifestans in evangelio quod erat ipse incorruptibilis
solus verbi opus inchoans verbum carnem factum esse
nec lumen a tenebris comprehensum esse testatur. Primum signum
ponens quod in nupciis fecit dominus, ostendens quod ipse
erat ut legentibus demonstraret quod ubi dominus invitatus
est deficere nupciarum vinum debeat ubi et veteribus immutatis
nova omnia que a Christo instituuntur appareant.

Hic commendat scribendi modum quem tenuit Johannes in scribendo
istud evangelium quia scribendo Christi naturam incepit ab emanacione
incorrupti verbi per quod ostendit in Christo divina. Et talis modus
scribendi debebatur Johanni propter incorrupcionem carnis et hoc est
quod dicit: Denique manifestans in evangelio, id est in incipiendo evangelium quod
erat ipse, id est incorrupcione carnis sue, incorruptibilis verbi opus
inchoans quia ab hoc suum evangelium incepit dicens In principio erat verbum etc.
solus verbum carnem factum esse nec lumen a tenebris comprehensum esse
testatur quia alii evangeliste non loquuntur de proprietatibus verbi sicut
ille. Similiter describendo facta Christi humanitus gesta incepit ab
illo signo quo Christus invitatus ad nupcias deficiente vino aquam
convertit in vinum ut habetur infra 2° capitulo. Et per hoc designatur quod
in illis qui invitant Christum ad nupcias spirituales pro aggressu
tamen virginalis debet deficere dilectio carnalis que per vinum
designatum ut aqua convertatur novo modo in vinum per Christum

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_122/0712
MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG